

The Electronic Manipulus florum  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Iniuria m  
cum fontibus proximo et primo

Discamus exemplo Christi nostras iniurias  
magnanimiter sustinere,  
Dei autem iniurias nec usque ad auditum sufferre.

Sed, ut videtur,  
non licet etiam iudici in se delinquentes punire:  
dicit enim Chrysostomus, *super Matth.:*  
Discamus exemplo Christi nostras iniurias  
magnanimiter sustinere,  
Dei autem iniurias nec usque ad auditum sufferre.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda*  
*secundae*, 108.1.4 (P. Caramello ed., p.507).

Nam in iniuriis propriis pacienciam tenere laudabile est,  
iniurias autem Dei patienter sustinere nimis impium est.

Nec est contra rationem patientiae quod aliquis,  
quando opus fuerit, insiliat in eum qui mala facit:  
quia, ut Chrysostomus dicit, super illud Matth. [4, 10],  
«Vade Satanas»,  
in iniuriis propriis patientem esse laudabile est:  
iniurias autem Dei patienter sustinere nimis est impium.

Crisostomus super Mattheum.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda*  
*secundae*, 136.4.resp.3 (P. Caramello ed., p.604).

*Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me,*  
et hoc quae sivit fieri sibi a Christo, quod soli Deo fieri debebat:  
exasperatus est, et iratus est, et increpavit eum, et repulit dicens:  
*Vade retro, satana; scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis,*  
*et illi soli servies:* ut nos illius  
discamus exemplo, nostras quidem iniurias illatas ab impiis,  
sive in dicto, sive in facto, magnanimiter sustinere,  
Dei autem iniurias et contemptum nec usque ad auditum sufferre:

quoniam in propriis injuriis esse quempiam patientem, laudabile est:  
iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in Matthaicum*, 5 (PG 56,  
col.668).